

Habet ille quoque, quem noui; scripta Chronica varia, ubi de Pontificum vitis et institutione ceremoniarum hinc inde aliquid, Item missam diui Chrysostomi¹ verum Venetiis excusa est typis graece et latine cum versione Pelargi, de hoc tamen libro vobis relinquo iudicium. Tertia pars tractatus cresceret in immensum, quia mores dissolutissimos, auaritiam inexplicabilem et nullum non pene genus flagitii² superior quoque aetas detestata est, quod uaria scripta non tam theologorum, quam et poetarum aliorumque omnium nationum grauamina, querelae, protestationes legatorum in conciliis et talia scripta manifestum faciunt. Item, quae diversi ordines contra se invicem scriptitarunt, quae multi aduersus Beghardos, Templarios et eius farinae homines. Hic ortus, origo, tempora foundationis, progressus, exitus, plaga diuina in exterminatis iucundum argumentum praeberet, qualis nempe nonnullorum fuisset vitae innocentia et quam mortui mundae doctrinae ac vita immundi fuerint, ex cuiusque ordinis regulis, quas tenaciter multi sacris literis praeponunt, recenseri quaedam possent, cum breui oppositione ex patrum atque conciliorum pronunciatis. In hoc opere tripartito (quod ad minimum tribus uiris doctis sat negotii praeberet) quantum ad primum locum attinet, qui basis esset et fundamentum, possent articuli controuersi et a quibusdam Magistris nostris condemnati, post unam atque alteram ex sacris literis corroboracionem, deinceps ex patribus Augustino et aliis piis uiris, qui se mendaciis opposuerunt, prolixè et sufficienter comprobari, ut videant, quid Catholica obseruarit Ecclesia et num recenter (?) sint omnia ambitiose excogitata.³ Aliquot doctis et piis adolescentibus vel potius illis, qui in disputationibus versati essent, tales doctores perlegendi committantur, cuique suus autor. In quo perlegendo quicquid ad praenotatos per vos articulos controuersos spectare existimaret, excerptum vobis disponendum traderet. Tentarunt id nonnulli aetate etiam nostra et recenter, sed⁴ minus plene, nam saniores Doctores Ecclesiae legendi

¹ Tegnagel schrieb ad marginem: ‚Chrysostomi Missa‘, habet ille quoque ist gestrichen.

² Oberhalb des Textes stehen die Worte: quo in quali (?) semper otiosi illi saginati. Wahrscheinlich: sues.

³ Die Worte: ‚posset Billicanus Pellicanus utpote versatissimus a multis annis in patribus‘ sind ausgestrichen.

⁴ Hier stand früher ‚multi‘.